



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.  
Emanvelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è  
Societate Jesu**

**Giuglaris, Luigi**

**Francofvrti, 1684**

Ad inferos descendit. 84

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38349**

ELOGIUM LXXXIV.  
AD INFEROS DESCENDIT,

*Avaritia propriū  
terre viscera solli-  
citare per fedinas.*

*Sol Christum ad in-  
feros abeuntem una  
cum stellis sequu-  
tus.*

*Vbi Deus, ibi Cœ-  
lum.*

*Ideo terra motus  
factus magnus.*

*Ita discipulis dixe-  
rat in sermone post  
cœnam.*

*Venerunt in San-  
ctam Civitatem, et  
apparuerunt  
multis Sancto-  
rum anime.*

*Quæ iis, qui resur-  
rexerant, causa  
fuerit veniendi in  
Civitatem tanti  
sceleris ream.*

*Dilatavit Infernus  
animam suam, ait  
vates, nunquam  
verò magis, quam  
se caperet hospi-  
tem tantum.*

Avaritia Charitatis tuæ  
Terram ipsa quoque sollicitat,  
Et Aureas mentes  
Illi ab imis usque visceribus eruit.  
Fœtas fodinis hujuscemodi tenebras  
Toto immisso Sole scrutatis,  
Inde ille abest à Cœlo  
Quia ille etiam tecum est.  
Credidere sydera Cœlum  
Ubicunque tu fores;  
Te in Erebum usque sequuta,  
Quia ibi quoque aderas,  
Loci non agnovere discrimen.  
Theauris suis spoliari  
Terra vix tolerat  
Ulciscitur violentiam motu,  
Et unde quaque lapides  
Inimicum ejaculatur in Cœlum.  
Cum in Domo Patris tui  
Mansiones multæ sint, pauci cives,  
Contradis vel ab Inferno Coloniam,  
Quam illuc crediturus deducas,  
Imbutæ luce tua Nobiles Umbræ  
Fiunt Mundo spectabiles,  
Et usurpaturæ oculis  
Tuæ monumenta virtutis  
Ad nundinas Gratiarum  
In Sanctam confluunt Civitatem,  
Illis nulla alibi majora negotia,  
Quam ubi libertatis Assessor  
Et vivus agnoscendus in Matre,  
Et mortuus adorandus in Sindone.  
Ut tuam caperet animam,  
Suam adeo dilatavit infernus,  
Ut ex violentia fractus sit,  
Nequientique suos ultra retinere Captivos.  
Invidit Emphyreum

Opposi-



Oppositi sibi specus fortunæ ;  
 In omnem doloris sensum erupit,  
 Quod & Erebus  
 Dici sedes Dei jam posset.  
 Scrutator Cordium,  
 Ne ipsum quidem Cor terræ præteriit ;  
 Rimatus illud per triduum est,  
 Inventaque in eo omni nequitia  
 Mundi pravitatem mirari desit.  
 Cui Homicidia, Adulteria, fuita,  
 Atque adeo scelera omnia,  
 Tam corrupto manare vidit ex corde,  
 Quid in loco pœnarum tamdiu egerit,  
 Omitte quærite.  
 Si bonus es, eo tibi aditum clausit,  
 Si malus, aperuit.

*Turbatio Cæli ipsa  
 morte Christi, ex  
 quadam invidia,  
 Infernus Cor terræ  
 sæpe dicitur in  
 scriptura.  
 Supponit auctor de-  
 lectam & damnatis  
 gloriam Christi in  
 augmentum pœna-  
 rum.  
 Quæ de corde exe-  
 unt, ea plane sunt  
 quæ coinquinant  
 hominem.  
 Locus pœnarum  
 utique sub terra,  
 Quid egerit apud  
 inferos Christus.*

ELOGIUM LXXXV.  
 SURGIT REDIVIVUS E  
 TUMULO.

*Math. 28. Marc. 16. Luc. 24. Ioan. 20.*

Probrum Sterilitatis  
 Posthæ Telluri nullus objiciat ;  
 Experta Matrum dolores est,  
 Peperit Primogenitum Mortuorum.  
 Filios habere Mors cœpit ;  
 Mitiozem illam sperate, Mortales,  
 Feritatem fœcunditas cicurat,  
 Mundo dies illuxit omnium maxima,  
 In qua redux Sol noster,  
 Auroram sequutus non est,  
 Sed præivit.  
 De repetundis accusari timuerat,  
 Si quas horas diei ademerat Moriens,  
 Non redderet jam resurgens.  
 Pudere illum cœpit,  
 Quod contra quam præceperat  
 Thesaurizare videretur in terra.  
 Qui dormientes nollet testes habere.

*Christus primoge-  
 nitus mortuorum.  
 Ad Coloss. c. 1. v. 18.  
 Apoc. 1. v. 5.*

*Dies, quam fecit  
 Dominus, cur o-  
 mnium maxima.*

*Sequitur auctor eo-  
 rum opinionem, qui  
 volunt Christum  
 ante auroram re-  
 surrexisse.  
 Dixerat enim nolite  
 thesaurizare  
 vobis thesauri in  
 terra.*

Sed